

3. Experimentum fiat, quo demonstratur non tantum per crus longius, sed etiam per crus brevius siphonis aquam effluere posse.

4. Non tantum aqua, verum etiam argentum vivum per siphonem evacuari potest ex vase.

5. Ostenditur Siphon exiguus vitreus unius cruris infra exiguo canale & exilissimo foramine imbutus, qui si intrudatur argento vivo, in instanti siphon repletur illo, ubi mirabile, quod tam exiguo temporis spatio per parvulum foramen tanta celeritate intraverit argentum vivum.

6. Siphunculi angustissimi capillares, liquoribus coloratis intrusi illos sponte recipiunt.

7. Situla Helmontiana ostenditur & ejus effectus explicatur, cur nempe discus ligneus maneat in fundo aquæ, qui alias ad superficiem aquæ pergat.

8. Instumentum ex ære confecto demonstratur aquam secundum altitudinem premere, non secundum molem: unde una libra aquæ ad altitudinem posita resistere non modo potest mille aquæ libris, sed & easdem sursum pellere.

#### DEMONSTRATIO XXXIV.

Fontes omnes artificiales vel ex lapsu aquæ tendente ad æquilibrium, vel ex aeris vi elastica post factam compressionem, vel ejus rarefactione per calorem derivari merito debent.

#### *Experimenta.*

1. In simplici machina monstratur lapsus aquæ, & qua ratione, si aqua fuerit repleta, in omnibus cameris & hypocaustis per totam domum obtineri possit ad lubitum aqua.

2. Fons